
EPISTOLA PASTORALIS

AD

CLERUM, ET POPULUM

ANGLONEN. ET TURSIEN.



ROMAE MDCCCXXIV.

APUD FRANCISCUM BOURLIÈ

Superiorum permissu.

JOSEPH XAVERIUS POLI
U. J. D.

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ANGLONEN, ET TURSIEN
EPISCOPUS

ATQUE BARO FEUDI ANGLONAE &c.

VENERABILIBUS FRATRIBUS, AC DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS DIGNITATIBUS ET CANONICIS, PAROCHIS, CLERO, OPTIMATIBUS, ET CUNCTO POPULO CIVITATIS, ET DIOECESIS.

Salutem, et pacem a Domino sempiternam.

Cum Divina Providentia, quae in sui dispositione non fallitur, factum sit, ut ego, licet minimus inter Cathedralis Ecclesiae Melphitensis perillustres Dignitates, et Canonicos, ad Episcopale munus fuerim electus, ac institutus a LEONE XII. Pontifice Maximo, rem promovente Optimo, ac Pientissimo Principe FERDINANDO I., opere pretium duxi Vobis, Venerabiles Fratres, sensus cordis mei hisce litteris significare. Sed, qui humiliat, et sublevat Distributor, scilicet, Dignitatum Deus, suscitavit de pulvere egenum, ut cum Principibus sedeat, me quidem, numquam talia cogitantem, posuit Episcopum regere Ecclesiam, quam ac-

quisivit Sanguine suo, Anglonensem, inquam, et Tursiensem. At quae in me mentis demissio, quae animi perturbatio! Saeculo XVI. Sedes ista conspicua fuit fideliter occupata ab illustri meo Concive D.Francisco Antonio de Luca, nec non ab aliis, qui me praecesserunt dignis Pastoribus, nobilitate, morum integritate, doctrina, et vitae sanctitate praeclaris. In tanto igitur rerum discrimine positus, quid statuere, quidve agere, nesciebam? Infirmitatem meam luce clarius agnoscebam, nec comparandus quidem tot tantisque Viris, qui Ecclesiam istam laudabiliter rexerunt. Animus quippe meus prae tristitia, et formidine refugiebat. Statim atque ad Deum, qui consolatur humiles in humilitate sua, sedulas preces porrexi, hisce verbis ex Regum Sapientissimo desumptis. (1) " Ego autem sum puer parvu-
,, lus, et ignorans egressum, et introitum
,, meum. Et servus tuus in medio erit populi
,, infiniti . . . . Dabis ergo servo tuo cor doci-
,, le, ut populum tuum judicare possit, et dis-
,, cernere inter bonum; et malum ,,. Quod antea tristitiae, et formidini, hoc statim solatio, et fiduciae mihi fuit, ut munus hoc Epis-

(1) *Matth.* 3. c. 3.

copale mihi indigno impositum pro animarum vestrarum salute , libenter susciperem.

Ad Gloriam Dei igitur, Beatae Mariae Virginis , et S. Philippi Nerei Confessoris , et Patroni nostri praecipui cito ad vos veniam , ut cum laetitia cordis mei curam , administrationemque suscipiam Ecclesiae Sponsae meae , quae infirmitati meae fuit a Spiritu Sancto commissa. Hoc itaque perficiam firmo , ac sereno animo , cui fiduciam quam maximam praebent illa omnia , quae de vobis audivi, quaeque auribus meis continuo perveniunt, florere namque in hac Civitate, et Dioecesi, in omnibus, et singulis Civium ordinibus viros omnigena eruditione praeditos , qui litteris, ingenio , doctrina , morum probitate , animique docilitate Patriam vestram exornant , et mirifice decorant . Hinc et Cleri universi vitam , et honestatem ad religiosioris disciplinae rationes comparatam , et Populi tum Urbani , tum Dioecesani mores ad exactam Christianae pietatis normam compositos , absens nunc audire quam maxime laetor : praesens autem si verbis istis facta respondeant, si in omni opere bono Vos confirmatos inveniam (quod faxit Deus) in hoc gaudeo , et gaudebo.

Quum vero in hanc Vineam demoliendam subingressas vulpeculas animadvertero ; atque in Agro Dominico superseminatum ab inimico homine zizania , subortum videro (quod non credam) , si quid , inquam , corrigendum , evellendum , destruendumque erit , id quidem fortiter in virtute Dei , et Deo ipso adjuvante , suaviter efficere firmum propositum mihi est , et pro viribus meis perficere conabor . Veniam siquidem ad vos , Venerabiles Fratres , in spiritu lenitatis , Domini Jesu Christi Principis Pastorum exempla , et documenta sequens , qui mitis fuit , et humilis corde . Hinc si quas oves ab ovili meo errantes cognovero , protinus quaerere enitar ; quaeram vocibus , quaeram precibus , quaeram suspiriis , quaeram lacrymis , et in humeris meis impositas , omnes , si quas invenero , ad Ovile meum reducere conabor , ut fiat unum Ovile , et unus Pastor. Si haec mea salutaria monita non proderunt , virgam a Deo mihi traditam ostendam tantummodo ; quae si tandem adhibenda fuerit , percutiam in virga filiorum , non in interitum , sed in salutem , non ut Judex , sed ut Pater , qui irasci nescius , tum maxime diligit , cum degeneres , contumacesque filios in officio con-

tinere anxius satagit, ut omnes ad obsequium suum possint redire: Scitote, quia haec omnia praestabo pro vestra exhortatione, et salute, in charitate Dei, et in patientia Christi.

Sed ne umquam haec fiant, Charitas Dei praecipue praestabit, illa scilicet Charitas, quae sola efficit ut auferatur omne malum a vobis, et abundet Justitia sempiterna. Finis praecepti Charitas est. Principium verborum meorum Charitas. Hoc primum, a quo cetera pendent, praeceptum Domini est. Haec prima mea ad vos salutatio, ad quam sequuturae voces meae perpetuo dirigentur. Tunc vero perfecta in nobis Charitas Dei erit, si mutuam vobiscum charitatem habueritis. Ego quidem, dum pascam oves meas, etiam si oportuerit, animam meam pro eis ponam: vos autem si vocem Divini Pastoris ex meo ore, non tantum audieritis, sed etiam obsecundaveritis, memores ejus perfectae charitatis, qua Ipse prior, et usque in finem dilexit nos ut redametur a nobis; perpetuae charitatis mercedem habebitis in Coelis.

Os itaque meum primum patet ad vos, Venerabiles Fratres, amplissimus, atque ornatissimus Ecclesiae meae Senatus: unitatem spi-

ritus in vinculo pacis servate; sicut ceteros hominum in dignitate, sic in operibus bonis antecellite; Scriptum est enim: (2) „ Luceat lux ve-
„ stra coram hominibus, ut videant opera ve-
„ stra bona, et glorificent Patrem vestrum,
„ qui in Coelis est „.

Atque Vos quoque compello, qui Rectores Animarum, Coadjutores mei estis, et Cooperatores Corporis, et Sanguinis Domini, vocati in ministerium tabernaculi testimonii; praedicate verbum, annunciate populo consilium Dei. Collaborate in Vinea Domini: pascite gregem mecum non coacte, sed ex animo. Instate in omni charitate, in admonitione, in exhortatione, requirentes quod periit, quod confractum est alligantes, quod infirmum roborantes, quod sanum et perfectum custodientes. Estote igitur in auctoritate modesti, in zelo mansueti, in disciplina constantes, non in desiderio hominum ambulantes, neque in insipientia mundi, ab omni immunditia, et cupiditate alieni, sicut decet Ministros Dei, et dispensatores mysteriorum Christi. Satagite, atque alacri animo estote: cetera enim quum venero, disponam. Deus, et Dominus noster Je-

(2) *Reg*. 3. c. 3.

sus Christus det vobis multum sapere in ipso, ut discatis omni tempore, quemadmodum oportet, in veritate ambulare. Majorem enim non habeo gratiam, quam, ut venero, audiam Fratres, et Filios meos charissimos in veritate ambulare.

Nec vos praetereo, quotquot estis Seminarii mei Alumni, germina electa Sanctitatis, spes Ecclesiae, expectatio populorum, parvuli illi, quos in domum suam Divina Sapientia vocavit, sinuque suo collectos alit, nutrit, ac fovet, ut spiritu intelligentiae repleat, et charismatum meliorum aemulatores efficiat: Attendite igitur lectioni, orationi, et doctrinae, obedite praepositis vestris; leges, ac statuta Seminarii custodite, ut, adveniente tempore, unusquisque pro suo ingenio, studio, et virtutibus, partem Pastoralis mei officii sustinere possit.

Venio insuper ad vos Sanctimoniales Virgines Deo dicatae, illustris portio Gregis Christi, quibus datum est sequi Agnum quocumque ierit, eique canticum, quod nemo alius novit, decantare, orationesque omnium acceptissimas offerre, purissimo charitatis igne flagrantes, suavissimoque liliorum vestrorum odore undi-

que circumferentes. Vigilate, instate orationibus, quia adversarius vester tamquam leo rugiens, circuit, quaerens, quem devoret: Cavete ne stulte in levioribus culpis succumbatis; paratae semper estote ad coelestes nuptias, aptate vestras lampades; ut quum venerit Sponsus, obviam occurrere possitis, et coronam immortalem cum beatis Virginibus habeatis.

Ad vos denique me converto, omnium Ordinum Anglonensis, et Tursiensis splendidissimi, atque honestissimi Cives, quorum cura, atque vigilantia res publica constat, vos itaque rogo in Domino, ut quisque status sui munia accurate praestare contendat, ut cum venero, de vestra pietate, ac Religione possim laetari, et gaudere nomina vestra esse scripta in Coelis.

Vos tandem omnes generatim, sigillatimque oro, obtestorque, ut quo studio pro fraterna, ac filiali vestra erga me dilectione incoepistis, eodem ipso preces pro me indesinenter effundere apud Deum pergatis, ut det mihi Sedium suarum adjutricem Sapientiam, det spiritum duplicem, quo tum mihi, tum aliis prodesse valeam, factus forma gregis ex animo, ut quando ante Divinum Tribunal pro animabus vestris rationem redditurus apparebo, il-

lud (quod cordi meo semper infixum manebit) dicere mihi licebit : " Pater , quos dedisti mi-
,, hi , non perdidi ex eis quemquam ,, . Omnes etiam simul preces ad Deum , Mariam semper Virginem in Coelum Assumptam offeramus pro Sanctissimo Domino Nostro LEONE XII. Pontifice Optimo Maximo , et pro Augustissimo Rege Nostro FERDINANDO I. Regiaque Familia cuncta , ut incolumes felicesque diu nobis serventur. Omnia vestra in pace , et charitate fiant , ut gaudium meum , et corona mea esse possitis. Pax Dei , Gratia Jesu Christi , et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis . Amen .

Datum Romae extra Portam Caelimontanam Septimo Kalendas Januarii Anni Reparatae Salutis MDCCCXXIV.

IMPRIMATUR

Si videbitur reverendissimo P. Magistro sacri Palatii apostolici

J. Patriarch. Constantinop. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Dominicus Piazza Ord. Praed. S. Th. Mag. et Rmi Sacri Palatii Apost. Mag. Soc.